

THEODORICI III

FRANCORUM REGIS

ECCLESIASTICÆ ET MONASTICÆ PRÆCEPTIONES.

I.

^a *Diploma, quo Theodoricus donat Condedo, abbati Fontanellensi, insulam Belcinacam, in Sequanæ alveo (ann. 673).*

In nomine Altissimi Domini, Theodoricus rex Francorum. Quicquid propter timorem Domini et amorem ipsius, ad augmentum divini cultus servis Christi ex habundantia regia largimur, retributorem Deum, pro cuius reverentia hoc agimus, habere confidimus. Igitur agnoscat industria fidelium Christi presens pariter et futura, nos divinitus ammonitos, ad insulam in fluvio Secane sitam decedentes, viro Dei domno Condedo illuc ab eo destinato ipsam insulam, quam antiquitus Lutum censuit, nunc vero ^b Belcinacam nuncupatam, cum omnibus rebus ad ipsam pertinentibus, et toto alluvio quo eam voluerit divina pietas augmentari, concessisse et condonasse. Que cum sit fisco Arlauno vicina, in sui longitudine per tria millia se extendens, et in latum mille quingentis passibus terminetur, agros tamen contiguos et prata a parte Orientali et saltus, ab Aquilonari vero usque ad fines Glaconissem similiter concessimus, ut tam ipsum quam suos monachos de monasterio Fontinella, pro nobis et prole nostra, ac pace et stabilitate regni, ac animarum nostrarum remedio, sacrificium redemptionis nostre offerre Domino, et divinam misericordiam jugiter exorare delectet. Per hunc ergo præceptum specialius decernimus atque iubemus ut ipse, sicut dictum est, hoc habeat indultum atque concessum, ita ut et illi suc-

cessores sui monachi hoc habeant teneant, atque perpetuis temporibus possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus, Christo auspice, habeant potestatem. Et, ut hec auctoritas vel donatio nostra, quam divina illuminatione, plena et integra gratia concessimus, firmius habeatur et perpetuis temporibus inconvulsa maneat, manus nostre subscriptione, et anuli nostri impressione adsignari iussimus.

Theodoricus rex subscripsit. ^c Anno 1 datum, quod fecit mens. Octobris dies XXI, feliciter, Arlauno palatio.

II.

^d *Diploma quo Theodoricus dona collata monasterio Anisolensi confirmat, et ei privilegia concedit (ann. 674).*

Theodericus, rex Francorum. Si petitionibus servorum vel ancillarum Dei, per quod eorum quietem ac iuvamen pertinet, libenter obaudimus, ut effectui in Dei nomine mancipamus, regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad mercedem pertinere confidimus. Ideoque venerabilis vir Siviardus, abba de monasterio Anisola, quod est in pago Cenomanico, ubi S. Carilephus corpore requiescit, vel ubi ipse abba, una cum sancta congregatione degit, supplicem clementiæ regni nostri expetit, ut eum ad ipsum monasterium, una cum fratribus vel hominibus suis, gasindis, amicis, susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, vel unde legitime reddebant mitio, vel sermone tuitionis nostræ, vel munde-

trusus fuerat, in solium prosilit.

^a Editum in Collectione scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 652, ex schedis Mabillonii, qui illud exscriperat ex litteris Philippi Valesii, datis anno 1529, quibus renovatum et confirmatum fuit, cum jam esset vetustate attritum. Perit diploma autographum; illud recudimus ex apographo accuratissimo earundem litterarum in Fontanellensi archivo repositarum, quod in chartophylacio nostro asservamus. Paucis ab edito differt. Litteras autem Philippi suo ordine vulgabimus. Præcepti Theodorici memoria est in Vita sancti Condedi, apud Mabill., Acta SS. Ord. S. Bened., t. II, pag. 828. Aliqua suspicio oritur, tum ex formula initiali, sub regibus Merovingicis insolita, inserta forte recentiori manu; tum ex anuli mentione, quæ, teste Mabillonio, raro reperitur in indubitatis horum regum diplomatibus. Vid. de Re dipl., cap. 10.

^b Belcinaca insula jacebat in Sequanæ alveo, non procul ab urbe quam vocaberunt Calidumbeccum, Nov. Gall. Christ., t. XI, col. 121 et 162. Jampridem undis obruta, anno 1644 visa fuit emersisse, sed paulo post omnino evanuit.

^c Annum primum regni Theodorici III computamus ab anno Christi 673, quo, audita Childerici fratris morte, ex monasterio Sancti Dionysii, in quod re-

^d Edidit Martenius, Amplissim. collect. t. I, col. 7, ex chartario Anisolensi depromptum; recederunt Collectores scriptorum rerum Francicarum, t. IV, p. 654, ex Martenio. Quænam fuerint notæ chronologicæ quæ obliteratæ sunt conjectura assoqui difficillimum. Id pro certo haberi potest, hoc diploma non a Theodorico IV, seu Calensi, ut quibusdam placuit, v. g. Hist. litter. Franc. t. III, pag. 614, sed a Theodorico hujus nominis tertio emissum fuisse. Siviardus enim, hoc rege regnante, Anisolensi monasterio præfuit; nec tempora Theodorici IV attingisse dici potest, cum successerit Sigiranno patri suo, qui sub Hadoindo, Cenomanensi episcopo, et sub rege Dagoberto I, idem monasterium rexerat. Quo autem Theodorici III anno datum fuerit diploma de quo agimus certis indicis erui nequit; sed nihil obstat quominus illud ad annum Christi 673, cum Martenio, vel ad annum 674 cum Collectoribus scriptorum rerum Francicarum, referatur. Sane non ultra annum 681 locum ei assignare fas est, cum hoc anno, ut constat ex legenda sancti Siviardi apud Mab. Acta SS. Ord. S. Bened., sæc. III, pag. 459, Siviardus obierit, id est octavo, regni Theodorici, quem tertium hujus nominis fuisse monuimus.

burdo nostro recipere deberemus, et sub ipso illustri viro causas ipsius monasterii vel abbatis debeat habere receptas. Cui non gratanti animo [assensum] præstitisse cognoscite. Quapropter per præceptum præsens decrevimus ac iubemus ut neque vos, neque juniores vestri, neque successores, vel missi de palatio nostro discurrerent, vel quislibet, ipso domno Siviardo abbate vel homines ipsius monasterii, amicis, gasindis, susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, condemnare vel inquietare, vel inferendas sumere, nec de res eorum in lege eorum minuere non præsumant, ut liceat eis sub sermone tuitionis nostræ, vel sub emunitatis nostræ quietos vivere ac residere. Et si aliquas causas adversus ipsum monasterium, aut mitio ipsius abbatis ortas fuerint aut surrexerint, quas a vobis aut a junioribus vestris absque eorum iniquo dispendio terminatas non fuerint, manu eorum..... vestra quousque in præsentiam nostram omnimodis servetur, et ibidem finitivam sententiam per legem et justitiam debeant accipere, et unicuique de reputatis conditionibus justiciam reddant, et ab alio simili modo veritatem percipiant. Et, ut auctoritas nostra firmior habeatur, per tempora etiam melius conservetur, manu nostra subtersignaculis decrevimus roborare. Signum Theoderici. Datum..... fecit mens. Jun. dies xj, anno regni nostri.....

III.

^a *Diploma quo Theodericus Tuffiacum monasterium ecclesie Cenomanensi assertit (ann. 675).*

Theodericus, rex Francorum, vir illuster. In hoc semper regalis celsitudo debet prospicere, ut quodcumque contra Dei decretum vel instituta Patrum fuit actum debeat esse restitutum. Ideoque ad aures clementiæ nostræ fuit patefactum, eo quod Ulfaidus et Ingobertus optimates nostri illustri, Deo sacrata Aidila abbatissa, seu et genetrice sua Ingane, quæ in monasterio puellarum, quod in honore sanctæ Mariæ vel ceterorum domnorum, in loco nuncupante Tuffiaco constructum, una cum turba plurima monacharum sub sancta regula conversare videntur, vel ipsa congregatione tale testamentum facere cogisset, ut quodcumque prædicti viri ad ipsas ancillas Dei facere ordinabant, aliud nullatenus pontificum faciendi haberent, nisi præsentiter in perpetuum et omni tempore jussionem de qualibet causa facere

et adimplere deberent. Econtra vero assererat vir apostolicus ^b Aiglibertus, Cenomaniæ urbis episcopus, quod prædictum monasterium suæ sedis ecclesie esse deberet, et Loppa Deo sacrata, relicta videlicet Egigni, illud ibidem legibus tradidisset: ostendensque nobis strumenta cartarum, quæ prædicta Loppa de jamdicto monasterio Cenomaniæ matris ecclesie perpetualiter tenendum et ecclesiastice dominandum ac possidendum fecerit. Quæ et ante nos relecta et approbata, a memorato Aghilberto et a suis ministris sunt legibus evinificata; etiam hoc ab eo et a suis ministris legibus adprobatum in conspectu nostro et procerum ac fidelium nostrorum, quod jamdictum monasterium in jus et potestatem suæ sedis ecclesie presentibus et futuris temporibus, juste ac legibus debeat permanere. Quam ob causam petiit clementiam nostram memoratus pontifex, ut quod tam manifestis iudiciis declaratur, nostra assensione, immo auctoritate roboretur. Cujus petitionibus pro amore Dei et ejusdem sancti loci aurenti accommodamus, et hanc præceptionem eis suisque per tempora successoribus jam dictæ sanctæ congregationis fieri ac dari jussimus, ut firmius futuris temporibus, omni scilicet remota quæstione tam prædictorum virorum quam et cujuslibet personæ, memorata Cenomaniæ mater ecclesie, quæ est constructa et dedicata in honore sanctæ Mariæ, et postea inmajorata in sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, ejusque pontifices atque rectores, sæpèdictum monasterium, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, tenere et ecclesiastice valeant per tempora possidendo gubernare. Sic dum nos, una cum consensu pontificum vel optimatum nostrorum, quod hæc causa vel ipsa carta contra Dei decretum vel instituta Patrum aut normam regulæ fuerat actum, dum sub ditione et regimine prædicti pontificis, cui jamdictum monasterium (ut præscriptum est) et suæ sedis ecclesie legibus pertinet, quod et a nobis enucleatum est perscrutandum, et præfixæ monachæ quieti in ipso monasterio vel prædicta congregatione, sub potestate et dominatione antedicti pontificis, degere debeant. Ideoque præsentem præceptionem decernimus et omnino iubemus ut, si ullo unquam tempore ipsa carta aut alius qualiscumque instrumentus de nomine prædictorum virorum contra prædictum pontificem, vel ejus abbatissam, nomine Adilane, vel genetrice sua Ingane,

^a Exstat in Actis episcoporum Cenomanensium; Mab. Analect. pag. 277; recusum in Collectione scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 655. Anno tertio regni Theoderici III, mense Decembri, nondum expletus erat annus Christi 675; unde sub hoc anno collocamus diplomam quod hic exhibemus.

^b Aiglibertum Ecclesie Cenomaniæ præfuisse jam vidimus * supra, in instrumento dato anno xi Childerici II, id est, anno Chr. 671, sed commentitium esse monimus instrumentum hoc, cum Aiglibertus non nisi post plures abhinc annos Cenomanenses infulas obtinuerit. Is enim successit Berardo episcopo. Id autem pagnat cum diplomate quod expendimus,

dato hujus regni anno III, sub Aigliberti pontificatu. Forte quis conjiciet in hoc nostro diplomate annum XIII pro anno III reponendum; et hujus emendationis ope, satis plana fierent omnia; diploma enim tunc illigaretur cum anno Chr. 685, et juxta Bondonneti, Vit. episc. Cenoman. pag. 234, ac Coittii, Ann. t. IV, pag. 39, computationes annorum presulum Cenomanensium, obitus Berardi ac initia pontificatus Aigliberti referenda sunt circa annum Christi 681. Sed mera conjectura hanc emendationem tuetur; et, cum instrumento nullam hanc conciliet auctoritatem actorum episcoporum Cenomanensium spuris instrumentis referentium, a falsi suspicione nequit gratuita conjectatione liberari; ergo illud adulterationis signum notare vobis liceat.

^c Ad Childerici II diplomata, n. VIII.

vel ipsa congregatio omni tempore, absque cujuslibet impedimento, vel supradictorum virorum, quietas in ipso monasterio, sito in pago Cenomannico, Tufflaco constructo, debeant residere, vel sub sancta regula ibidem conversare, et pro statu Ecclesiæ et salute patriæ, seu pro stabilitate regni nostri perenniter ibidem debeant exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, in omnibus et ab omnibus conservetur, manus nostræ suscriptionibus subter eam decrevimus roborare. In Christi nomine, Theodericus rex subscripsi. Guntinus jussus obtulit et subscripsit. Datum quod fecit mensis Decembris dies vj, anno iij regni nostri, Compendio in palatio nostro, in Dei nomine feliciter. Amen.

IV.

^a *Diploma quo Theodericus monasterium sanctæ Mariæ infra Sartam fluvium Cenomanensi ecclesiæ asservit (ann. 676).*

Theodericus rex Francorum, vir illuster. Si petitionibus sacerdotum quod ad eorum opportunitatem pertinet libenter præstamus assensum, regiam in hoc exercemus consuetudinem, et hoc nobis ad laudem vel ad salutem æternam et stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur apostolicus vir, dominus Aiglibertus, Cenomannicæ urbis episcopus, missa petitione, clementiæ regni nostri credidit suggerendum ut constitutionem, quam propter amorem Dei et eleemosynam nostram constituerat, per consensum comprovincialium episcoporum, sive consacerdotum ac canonicorum suorum in monasterio sanctæ Dei genitricis, quod est constructum intra fluvium Sartæ et murum civitatis, tam extra murum quam et infra ipsius civitatis munitionem quod ad matrem ecclesiæ sanctæ Mariæ et sancti Gervasii et Protasii, cui præesse videtur, jure ecclesiastico pertinet, et per suscriptionis firmitatem prædecessorum suorum temporibus sub censu firmiter et legaliter delegatum esse cognoscitur; postulavit ut firmitatis causa, nostra regali confirmetur censura. Cujus petitioni nos assensum præbentes, et eandem suam constitutionem nostra auctoritate confirmantes, hoc præceptum fieri jussimus, et per hanc auctoritatis nostræ inscriptionem præcipimus ut, sicut a prædicto venerabili apostolico viro Aigliberto, Cenomannicæ urbis episcopo, est constitutum, vel sicut in ejus continetur scripto, tam deinceps

^a Exstat in Actis episcoporum Cenomanensium, Mabill. Analect., pag. 279; recusum in Collectione scriptorum rerum Francicarum, tom. IV, pag. 626. Perit Childbertus II anno 675, ineunte Septembri mense, cui successit frater ejus Theodericus III, non quidem statim ab obitu fratris, Longuer. Ann. Franc. tom. III, Collect. hist. Franc. pag. 631; sed Theoderici annos a die obitus Childerici computatos fuisse ex Mabillonio probat Longuerueus. Ergo mense Martio tertii anni Theoderici jam currebat annus Christi 676. Emendanda foret hæc nota chronologica, ut conciliari posset cum pontificatu Aigliberti, cujus exordium sub anno 680 collocat Bondonnetus, Vit. episc. Cenoman., pag. 334 et 336; nisi dicatur legendum in diplomate anno xiii pro anno iii, sed conjectura hæc auctoritate destituitur; et cum levis-

nostris et futuris temporibus sub jure et dominatione præfatæ Cenomannicæ senioris urbis ecclesiæ, sanctimonialibus inibi degentibus et pauperibus ac peregrinis stipendiarie disponente atque ordinante præfatæ urbis episcopo, ac decessoribus suis et abbatissæ quam ipse sive successores sui in eodem monasterio constituerunt, sub regula existant ac regulariter vivant, et plena eis regula conservetur. Et res ad prædictum monasterium pertinentes monemus, ut neque nos, neque successores nostri, aut qualibet expectantibus vel exactoribus præfati regni auferre, aut alienare a jure et dominatione jam dictæ matris Cenomannicæ urbis ecclesiæ, aut propter benevolentiam vel leviorationem seu servitii præfati domni et apostolici viri Aigliberti episcopi aliqua succedat occasione, aut qualiter calliditate vel malo ingenio machinetur, ut a jugo præfatæ ecclesiæ ex hac nostra benevolentia ipsum monasteriolum auferatur vel alienetur, sive aliquo modo subtrahatur: sed in jure et potestate sæpe dictæ matris ecclesiæ aut pontificum inibi Deo degentium præsentibus atque futuris permaneat temporibus, neque aliquo modo quicquam auferre vel præterire præsumat: sed præfati episcopi constitutionem, sicut ab illo constitutum et a nobis confirmatum est, per diuturna tempora inviolabiliter in augmentum sanctæ Dei Ecclesiæ et inconulse omnes reges et principes vel exactores regni persistere, aut permanere sive perdurare omni tempore permaneat. Et, ut hæc præceptio firmior habeatur, vel per diuturna tempora a nobis vel a successoribus nostris in melius conservetur, nostris suscriptionibus decrevimus roborare. In Christi nomine, Theodericus rex subscripsi. Audofredus jussus subscripsi. Datum quod fecit Martius dies v, anno regni nostri iij, Compendii palatio, in Dei nomine feliciter.

V.

^b *Diploma quo Theodericus bona Adalrici duci, fisco regio adjudicata, concedit monasterio Besuensi (ann. 677).*

Merito beneficia quæ possident amittere videntur, qui non solum largitoribus ipsorum beneficiorum ingrati existunt, verum etiam infideles eis esse comprobantur. Ad hujusmodi igitur exemplum postquam omnibus patefactum est qualiter Adalricus dux, Deo sibi contrario, nobis infidelis apparuit, et se Austrasiis consociavit, ut adversum nos et nostros fideles

sima fides deberi videatur Actis episcoporum Cenomanensium inter Analecta Mabillonii vulgatis, hoc diploma sinceris non annumeremus.

^b Exstat in Chronico Besuensi, Dacherii Spicil. t. I, pag. 501; recusum a Gointio, Ann. t. III, pag. 775; Bertholeto, Hist. Luxemb. t. II, pag. 20, et in Collect. scriptorum rerum Francicarum, tom. IV, pag. 657. Die 4 Septembris anni 4 regni Theoderici III jam expletus erat annus Chr. 676, si exordium regni hujus ab ineunte mense Septembri repetamus. Certe ante hujus mensis diem 12 occisus fuit Childericus, a cujus morte computantur anni regni Theoderici III. Vide Longueruei Annales Francorum. Suffragantur Gointius, ubi supra, et Mabillonius, Annal. t. I, pag. 537, qui diploma de quo agimus collocant sub anno 677.

scelera sua, si dominus Deus permisisset, exercisset, nos, propter ipsum facinus, omnes res suas ad nostrum fiscum jussimus revocari. Cognoscat itaque utilitatis vestrae magnitudo quod res nominatas Fiscifelinis, una cum appenditiis suis et adjacentiis, et cum colonica Trevario, et quicquid supra dictus Adalricus de quolibet adtracto ibidem tenuit vel possedit, ei monasterio quod appellatur Fons-Besuzæ, quod est in honore sancti Petri et Pauli, ac ceterorum sanctorum constructum, ubi venerabilis vir Waldalenus præsese dignoscitur, plena et integra gratia totam nos concessisse. Quapropter per hoc nostrum præceptum decernimus ordinandum, et in perpetuum volumus esse mansurum, ut memoratus abbas Waldalenus prædicto monasterio Fontis-Besuzæ res jamdictas, una cum ædificiis, mancipiis, accolabus, terris et pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, accessibusque omnibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, eum omni usu fructuario, ex nostras largitatis munere perpetualiter recipiat possidendas. Et, ut hæc præceptio firmior habeatur, et futuris temporibus inconvulsa teneatur, manus nostras subscriptionibus eam decrevimus roborare. Signum Theoderici regis. Datum mense Septembri, die iv, anno iv regnante Theoderico rege.

VI.

^a *Diploma quo Theodoricus dona confert Chainoni diacono (ann. 677).*

Theodericus, rex Francorum, vir illustre. Merito illi nostri jovamen vel consolacione percipiunt, qui erga nostris partibus fidelis esse inveniuntur. Idioque cognoscat magnetudo seu utilitas vestra quod nus mansellus alienus, in loca noncomparantis Saocitho, Muntecellis seu et Abniti, ubi Saxo servos commanire viditur, quem Decta, relicta Chro-

^a Vulgatum a Mabillonio, de Re dipl. pag. 469, ex autographo; recusum a Felibiano, Hist. abb. S Dion., prob. pag. 8, et in Collect. scriptor. rerum Francic., t. IV, pag. 658, qui illud pro legitimo habuerunt. Editum ex Mabillonio a Germonio, de vet. reg. Fr. Dipl. t. I, pag. 79, qui ipsius sinceritatem impugnavit; et iterum ab auctore Historiæ disputationum de re diplomatica, pag. 157, qui argumenta in utramque partem expendit. Unicum falsi indicium petit Germonius ex frequentia vocum barbararum et solæcarum locutionum, quibus totum hoc instrumentum scatet. Objectionem diluit Mabillonius, Suppl. dipl. pag. 13; imo Fontanius, Vindicæ dipl., pag. 116, de hoc ipso diplomate disserens, disertè astruit barbariem chartarum hujus ævi, nedum de ipsarum falsitate suspicionem ingerat, sinceritatem potius prodere. Sic et Baronius, cui ob hos nævos videbantur venerabilia, si fas est dicere, vetera instrumenta; ita ut in ipsis edendis retinenda admoneret menda hujusmodi, quasi veritatis minime fucate testimonia. Contra institit Germonius, de vet. reg. Franc. Dipl., t. II, pag. 53, et t. III passim, sed in eo frustra fuit. Lectiones Mabillonii sequimur.

^b Medium mensem Septembrem anni 5 regni Theoderici III adjudicandum anno Chr. 677 monstrabimus in notis ad diploma quod proxime sequitur; ergo eodem anno tribuendum videtur diploma de quo agimus, hoc eodem mense, die 12, emissum.

A doberetho, quodam in concambio de homene, nomine Eligio, nussetur recipisse, vel de comparato ibidem habuit, venerabile viro Chainone diacono plena et integra gracia visi fuemus concessisse. Quapropter per hunc præceptum, specialius decernemus ordenandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum, ut antedictus Chaino, absque vestra aut cujuslibet contrariaetate, ex nostra indulgencia ipse mansellus in suprascripta loca, sicut superius est insertum, quicquid ipsa Decta de concambio vel de comparato, aut de qualibet contracto nussetur habuisse vel possedissæ, hoc ad integrum cum quibuslibet beneficiis habiat concessum adque indultum, vel in sua domencacione hoc libere recipere ad possedendum; et quicquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus cum Dei et nostra gracia habiat potestatem. Et, ut hæc auctoritas firmiorem obtineatur vigorem, manus nostri subscriptionibus eam superdecrevimus roborare. † In Christi nomine, Theudericus rex subscripsi. Droctoaldus Jussus optuit.

Datum quod scit mnsis September dies xij, ^b anno v rigni nostri, Marlaco, in Dei nomine feliciter.

(Hic in archetypo sigilli fragmentum.)

VII.

^c *Diploma quo Theodoricus concedit Chramlino, episcopo Ebredunensi, in synodo deposito, facultatem res suas post degradationem retinendi (ann. 677).*

Theudericus, rex Francorum, viris illustrebus C Audoberetho et Rocco, nostris patriclis, et omnibus ducis, seu comitebus, vel actorebus publicis. Dum et episcopos de rigna nostra, tam de Niuster quam et de Burgundia, pro statu ecclesiæ vel confirmacione pacis ad nostro palacio Marlaco villa jussemus adventre, et aliqui ex ipsis, qui in infidilitate nostra fuerant inventi, per eorum cannonis fulrunt judeca-

^e Vulgavit ex autographo Mabillonius, de Re dipl., pag. 469, et specimen hujus æri incidendum curavit, ibid. pag. 381. Ex Mabillonio Germonius, de vet. reg. Franc. Dipl., t. I, pag. 306, et Collectores scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 658, recuderunt. Nos quoque ad Mabillonii fidem illud hic edimus. Pro spurio habendum diploma Germonius, ubi supra, t. I, pag. 182, t. II, pag. 255, contendit; contra Germonium instrumenti sinceritatem tæstet Mabillonius, Dipl. suppl., pag. 23, cui Fontanius, Vindic. diplom. pag. 189, astipulatur. Germonius objicit subscriptionem Theoderici huic diplomati subjectam discrepare a subscriptione ejusdem regis, apposita diplomati de Latiniaco, quod suo ordine infra exhibebimus. Discrepantiam autem non aliunde Germonius arguit, quam ex ipsis specimenibus utriusque instrumenti a Mabillonio æri incisis, de Re dipl., pag. 379 et 380. His vero diligenter inspectis, fatemur nos non aliam inter subscriptiones varietatem deprehendere, quam quæ inter utramque ex ipso temporis, annorum videlicet duodecim intervallo, promanasse credibile est; et certe, ut acute notat Mabillonius, D. plom. suppl. pag. 23, si quis falsarius subscriptionem alterutrius diplomatis finxisset, maximam in litterarum formis cum exemplo sibi proposito similitudinem observandam curavisset. Ergo falsi suspicionem elevat potius quam ingerit, leve quod objicitur inter subscriptiones discrimen.

ti : inter quos adfuit a Chramlinus, filius Miecio A quondam, qui æpiscopatum Aebreduno civitate habuit, inventum est, quod sua præsumpcione, vel per falsa carta, seu per revellacionis audacia, sed non per nostra ordenacione, ipsam æpiscopatum reciperat, etiam nec sicut eorum cannonis continent, ad ipsum benedicendum solemniter episcopi non adfuerunt; unde Genesisio, Chadune, Blidramno, Landobertho et Ternisco, qui metropoli esse videntur, vel reliqui quampluris episcopi ipsius iudicantis, in nostri præsencia fuit conseissus, adque de suprascripto episcopato aejectus. Ileo nos, una cum consilio suprascriptorum pontificum vel procedum nostrorum, complacuit quatenus, dum secundum cannonis in ipso senodale concilium fuerat degradatus, res suas proprias pertractavimus, pro mercidis causa perdere non dabit; sed quod exinde facere voluerit, una eum suprascriptus patribus nostris, taliter præcipimus, ut hoc licenciam habiat faciendi. Et postea peticio sua fuit, ut ipsum in monasthio S. Dionisiae, peculiaris patrui nostri, ubi ipsi preciosus in corpore requiescit, vel ubi Charlericus abba præesse viditur, ut sub opidiencia vel sub regolare ordine diebus vite sui conversare dabit; et dum perpetuo exilio fuerat iudicatus, mesericordia muti, una cum consilio suprascriptorum pontificum, petitionem suam vise fuimus pristitisse. Proinde per præsentem præceptum specialiter decernemus ordenandum ut res suas neque vos, neque junioris seu successoris vestri, nec quislibet contradicere nec minuare, nec contangere, nec infiscare non præsumatis, nisi per hanc auctoritate plisius in Dei nomine confirmatus liciat ei, per nostro permissio, res suas, ubi et ubi voluerit, donare aut delegare, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam et firmissemam in omnibus habiat potestatem. Et, ut hæc auctoritas firmior habiatur, manus nostri subscriptioneibus eam suptr dicrivemus roborare.

a Chramlinus in catalogo episcoporum Ebredunensium non recensetur, Nov. Gall. Chr. t. III, pag. 406, qui in hoc diplomate episcopatum Ebredunensem occupasse dicitur. Ratio subest, scilicet quia injuste sedem occupaverat, et inde, veste discissa, in synodo Marliaca fuerat dejectus. Hæc autem synodus celebrata fuit, juxta Pagium, in Baron. t. III, pag. 77, anno 677. Hoc eodem anno currebat annus v regni Theodorici; nam anno sequenti 678, mense Septembri, totius Franciæ monarcha factus est Theodoricus, defuncto Dagoberto; tempore autem diplomatis de quo agitur, Neustriæ tantum et Burgundiæ Theodoricus rex erat, ut liquet ex his verbis quæ leguntur initio ipsius diplomatis: *Episcopus de rigna nostra, tam de Nius'er quam de Burgundia*. Hinc annum 677 huic instrumento præliximus, quod vulgo tribuitur anno 678. Marlacum vero, ubi synodus fuit congregata, locum in confinio Campaniæ ac Burgundiæ existimavit Mabillonius, de Re dipl. pag. 470; Pagius autem, ubi supra, in Neustria positum in agro Parisiensi satis feliciter arbitratus est, nec alium esse a palatio quod hodie Marly Gallicæ appellamus. De hoc argumento consulendus est Mansi, Collectio conciliorum maxima, t. IX, col. 471.

b Vulgatam a Miræo, Opp. dipl. t. I, pag. 426; recusum a Cointiu, Annal. t. IV, pag. 124. Huic instrumento in sua collectioe locum dare merito designati sunt Collectores script. rerum Francicarum.

In Christi nomene, Theudericus rex subscripsi. Aghilbertus recognovit.

Datum med.o minse September, annua v regni nostri, Marlaco, in Dei nomene feliciter.

(Hic in archetypo sigilli vestigia.)

VIII.

a Diploma, quo Theodoricus multa prædia confert monasterio quod vocatur Nobiliacus (ann. 680).

In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Theodoricus, gratia Dei rex. Idcirco potissimum collatam nobis a Deo credimus imperii dignitatem, ut in tutela et augmento sanctæ catholicæ Ecclesiæ ipsiam præsequamur voluntatem. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, tam futurorum quam præsentium, solertia, quod adierunt celsitudinem nostram monachi ex monasterio quod vocatur Nobiliacus, ubi pretiosus confessor Christi Vedastus corpore quiescit, humiliter postulantes ut regale decretum nostrum super villis quæ nostra munificentia jam sibi cesserant, firmari juberemus, ut quæcumque ex inspiratione divina ipsis contuleramus, imperiali edicto et sigillo ad perpetuitatem statueremus. Igitur, pro salute tam successorum quam antecessorum nostrorum, videlicet regum vel imperatorum, et pro totius statu regni, inspirante rege omnium regum Deo, præfato monasterio et monachis inibi Deo in perpetuum famulantibus, regali liberalitate confirmamus quæ jam eadem liberalitate concessimus, ad matriculam scilicet ecclesiæ, in Atrebato pago Atheas, Felci, ad portam ecclesiæ, Bernivillam, Daginivillam; in pago Veromandensi, Mediolanas, Valles, Putheas aquas; in Batua, Resnam, Wulfaram cum capella Rothem, et aliam Rothem; in pago Hasbanio et Ribuario, Haimbecha, Halmala, Torona, et inter Altheim, Meridas, Ambron, Musinium, Groseas, has villas, mansos domi-

Novæ Galliæ Christianæ auctores, t. IH, col. 574, de hoc diplomate ad Cointium remittunt, qui illud quasi legitimum tuetur; sed spurium facile videbitur illud conferenti cuilibet cum diplomatibus Caroli Calvi, quorum formulas exhibet, temporibus Theodorici III insolitas; et magna ex parte exscriptum iudicabit ex Caroli Calvi diplomate, apud Martenium, Ampl. col. t. I, col. 498, emisso anno 876, in gratiam ejusdem monasterii quod hodie nomen sancti Vedasti obtinet. Diploma Caroli Calvi ex his verbis exordium habet, quæ ipsissima ab inepto falsatore exscripta, Theodorico tribuuntur: « In nomine sanctissimæ et individue Trinitatis, Karolus, Dei gratia, unde noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, solertia, quod adierunt celsitudinem nostram, etc., ut regale decretum nostrum, quod super jam dicto monasterio... statimus, atque imperiali edicto decernimus, etc. » Utramque formulam stolidè retinuit falsarius, *regale decretum et edictum imperiale*, qui nescivit in diplomate Caroli, *regale decretum* appellari diploma quod omiserat antiquam imperialem dignitatem esset assecutus; imperiale vero edictum, quod tunc emittebat, cum foret ad imperium erectus; ergo utraque locutio recte a Caro o usurpatur: Theodorici vero diploma bene quidem *regale decretum*, nullo autem modo *imperiale* dici potuit, quidquid dixerit Cointius ad astruendum imperatorum formulas a Merovingicis regibus usurpatas fuisse.

nicales sex, mansos serviles septuaginta quinque; A in Watrevio, Cambach cum appendiciis suis et ecclesia; in pago Caribant, Maxtin cum appendiciis; in Fabula, Montes. De his ergo villis, cum omnibus appendiciis et redditibus et mancipiis, per imperialem celsitudinem sancimus, ut nullus mortalium præsumat aliquid violentia qualibet vel fraude auferre vel demere, sed sicut a nostra liberalitate roborata sunt, præfati monasterii fratrum usibus in perpetuum cedant.^a.

IX.

^b *Diploma quo Theodoricus ab omni telonio eximit per regna sua currus aut navigia, res ad utilitatem monasterii sancti Dionysii vehentia (ann. 681).*

Theudericus, rex Francorum, viris illustribus omnebus agentibus, tam presentibus quam et futuris. Decet regale clementia ea que pro profectum ecclesiarum pertinet libenter prestare, et effectui in Dei nomine mancipare. Ideo cognuscat magnetudo seu utilitas vestra quod nus ad monasterio peculiaris patroni nostri domni Dionensiae, ubi ipse preciosus in corpore requiescit, ubi venerabilis vir Chardericus abba custos præesse viditur, tale beneficium vise fuimus concessisse de quantacumque carra, ubi pro oportunitate ipsius basilice, vel necessitate fratrorum, tam in Niustreco quam in Austrea vel in Burgundia ambolare aut discurrere videntur, tam carrale quam de navigale, nullus quislibet de iudicibus nostris vel de tellonariis nullo tilloneo de ipsa carra exigere, nec requirere non presumatur. Quapropter per presentem decernimus hac jobimus præceptum, et perpetuo volumus esse mansurum, ut neque vos, neque juniores seo successores vestre, ne [que] quislibet de iudiciaria potestate acinctus, ipso tilloneo de omnia carra ipsius monastirie domni Dionensi, tam carrale quam navigale, per rigna Deo propicio nostra, tam in Niustreco quam Austrea vel in Burgundia, ubi et ubi de ipso monastrio vel de ejus villis, tam ambolandum quam revertendum

^a Non absolutum fuisse videtur instrumentum. infeliciter tentatum. Quas ipsi falsarius notas chronologica esset additurus, divinare arduum foret et supervacaneum.

^b Vulgavit Mabillonius, de Re dipl. pag. 470, ex autographo; recuderunt Felibianus, Hist. abb. sancti Dion., prob. pag. 9, et Collectores scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 660. Nulla in hoc diplomate nota chronologica, nec regis subscriptio; sed sigillum regium appositum fuisse monet Mabillonius, de Re dipl., pag. 210, quod subscriptionis viceam ita præstat, ut instrumenti fidem conciliet. Quo tempore datum fuerit sic potest erui. Datum est cum tota monarchia Franciæ potiretur Theodoricus, si quidem in hoc instrumento memorat regna sua Neustriæ, Burgundiæ et Austriæ. Occiso autem Dagoberto anno 678, Austrasia quidem in jus Theodoricæ cedebat, cui jam Neustria et Burgundia parebant; verum Austrasii non statim ipsum agnoverunt regem, et adhuc anno 680 contra ipsum aciem direxerunt. Victi tandem hoc eodem anno, ad obsequium redacti sunt, Longuer. Ann. Fr. in t. III, Coll. ser. rer. Fr. p. 694; et Pipinus ipse, in Austrasia major domus, non solum Theodorico, sed Warahoni, Neustriæ majori domus, se subiecit. Ergo hoc di-

perrexerent, nec per civitates, nec per castella, nec per portus, nec per exitus, nec ubi et ubi, tilloneos exigetur; nec pontatico, nec portatico, nec pulviratico, nec rodico, nec salutatico, nec cispetatico, nec qualibet redebicione, quod exinde fiscus noster sperare potest, nullatenus quoque tempore requiratur nec exigatur, nisi omnia ex omnibus ad ipsa basilica domni Dionensiae in ejus lumenarebus nos mercedes compendio valiat esse concessum adque indultum, et ibidem perpetualiter valiat proficere in augmentes. — Rigulfos recognovit.

X.

^c *Diploma quo Theodoricus Eremberti in abbatem Corbeisensem confirmat (ann. 681).*

Theodericus, rex Francorum, episcopis et viris illustribus. Decet regalem clementiam, ut non solum gubernacula regalis culminis provideat, sed et regimina ecclesiarum et monasteriorum, pro Dei intuitu et mercedis nostræ augmento, sollerti cura providere, ut pax ecclesiarum, et segura libertas monachorum Domino omnipotenti militantium, per omnia conservetur. Et de sacrosancto monasterio nuncupato Corbeia, in pago Ambianense constructo, ad regalem nostram præsentiam monachi et viri Dei venientes, serenitatis nostræ clementiæ auribus suggesserunt, ut dum et venerabilis vir Chrodegarius abba, secundum consuetudinem humanæ fragilitatis, de hac luce ad Dominum migrasse dignoscitur, quem apostolicus vir dominus et pater noster Theodefodus episcopus, dum et ille onus pontificale meruit accipere, per nostram voluntatem et præceptionem, ad regendum ac dominandum monasterio suprascripto constituit; cum relatione et consensu totius congregationis ipsius monasterii, petierunt ut liceret eis secundum eorum electionem, et secundum sanctum privilegium quod supra loco sancto ex regali munificencia et sacerdotum concessione indultum est, de semetipsis eligere rectorem. Et dum eorum petitio nostræ serenitati congrua esse et rationalis in om-

ploma circa annum 681 fuisse emissum conjicimus. Favet nomen Charderici, abbatis Sandionysiani, qui tunc et pluribus deinde annis sancti Dionysii monasterio præfuit. Mabillonius tamen et Felibianus circa annum 678 instrumentum hoc collocandum censuerunt.

^c Exstat apud Sirmundum, Concil. Franc. t. I, pag. 305, et Cointium, Ann. t. IV, pag. 249; inter instrumenta Novæ Galliæ Christianæ, t. X, instr. col. 281; inter Probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, part. II, pag. 67, et in Collectione scriptorum rerum Francicarum, t. IV, p. 660. Destitutum est diploma hoc notis chronologicis, tum in editis tum in manuscriptis Codicibus, ut testatur Mabillonius, Ann. t. I, pag. 565; hinc critici cui anno tribuendum sit minime inter se consentiunt. Mabillonius electionem Eremberti circa annum 681 collocandam censet, quam Cointius, ubi supra, ad annum usque 694 removere jubet. Mabillonio suffragantur Novæ Galliæ Christianæ auctores, t. X, col. 1156; quæ quidem sententia potior nobis videtur, etsi fateamur hucusque non suppetere argumenta ejusmodi, ut aliquid certi circa hoc astrui possit.

nibus videretur, venerabilem virum Erembertum, A qui in ipso monasterio fuit nutritus, ipsi homines, cum voluntate suprascripti pontificis domni Theodofridi episcopi, elegerunt; nostra clementia ipsis monachis concessisse comperitur, sicut suggesterunt. Præcipientes ergo per hanc præceptionem serenitatis nostræ et auctoritatis regalis, concessimus et omnino jubemus ut suprascriptus venerabilis vir Erembertus, abbas et rector monasterii Corbeiensis in omnibus sit constitutus; et sicut bonus pastor, ea quæ utilia sunt ad opus monasterii et ad regimina monachorum provideat, et regat, et erudiat; et mereatur audire vocem Domini dicentis: Euge, serve bone et fidelis! quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Et ut taliter agat, ideo nostra clementia ei indulisit ut habeat potestatem de tota congregatione ipsius monasterii, vel de eorum hominibus in eorum terris commanentibus, vel de eorum rebus et possessionibus mobilibus et immobilibus, sicut sancta regula docet, et sanctus ordo monachorum dinoscitur esse conservandus; ita ut de die præsentis, omnibus temporibus vitæ suæ, secundum Dei voluntatem et secundum sanctum ordinem, dominatum accipiat; et ipsa sancta congregatio sub illo constitua, preces assiduas ad aures reverentissimas majestatis Domini, pro nobis et pro stabilitate regni nostri, jugiter fundat. Et ut hoc præceptum firmiter habeatur, quod pro Dei timore indulisimus auctoritate præcelsa, manus nostræ subscriptionibus subter decrevimus roborare.

XI.

^a *Diploma quo Theodoricus dona monasteriis Stabulensi et Malmundariensi collata confirmat (ann. 681).*

Theodoricus, rex Francorum, vir inluster. Si petitiones sacerdotum aut ecclesiarum prolatas, in quo nostris auribus recte poposcerint, perducimus ad effectum, regiam consuetudinem exercemus, et in æternum Dominum retribuimus ex hoc habere confidimus. Ideo notum sit fidelibus nostris quia venerabilis vir Goduinus [Gonuinus] abba de monasterio [monasteriis] Stabulaus et Malmundario, quæ sunt in honore sanctæ Mariæ et sanctorum

^a Ediderunt Henschenius, de trib. Dagob. lib. II, cap. 17, ex ms. Bambergensi; Cointius ex Henschenio, Annal. t. IV, pag. 28; Martenius, Ampliss. coll. t. II, pag. 12, ex chartario Stabulensi; Collectores scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 635, ex Martenio, cujus lectiones sequimur. Nulli suspectum diploma. Desunt notæ chronologicæ; nec concordant inter se critici cui anno assignandum sit instrumentum hoc: alii, ut Marten. et Coll. script. rer. Franc. anno 673 aut 674 datum fuisse arbitrantur; alii, Cointius, ubi supra, et Mabill. Ann. t. I, pag. 568, circa annum 681. Si rem liceat expendere, ante omnia advertendum est monasteria Stabulense et Malmundariense paruisse Austrasiæ regibus. Anno autem 673, occiso Childerico, Austrasii sibi Elbroinum ducem constituerunt contra Theodoricum, Neustriæ et Burgundiæ regem, cui erant infensissimi, et anno sequente Dagobertum II regem agnovcrunt,

apostolorum Petri et Pauli et [ac] sancti Martini et ceterorum sanctorum, a bonæ memoriæ avunculo nostro Sigiberto, quondam rege, ob amorem Christi, de foreste fiscibus nostris constructa, clementiam nostram exposcit, eo quod ipse princeps, pro mercedis suæ compendio et vita æterna, villas aliquas de fiscis, tam ultra Ligera res proprias quas dominus Remaclus legitime possedit, quam ceteras per præcepta sua manu roborata, sub integra emunitate absque introitu judicum concessit unde et ipsa præcepta, seu et confirmationem decedentium regum memoratus abba se præ manibus habere adfirmat; se petiit celsitudinem nostram ut tam id quod ipse princeps dominus Sigibertus de fisco suo, seu de reliquis locis, ad ipsa monasteria [Add.: per suas auctoritates noscitur concessisse quam etiam quod ad scripta monasteria] a Christianis hominibus inibi videtur fuisse datum [conlatum], et præsentis temporis eorum manet possessio vel dominatio, ut hoc in idipsum pro nostris oraculis confirmare debemus. Cujus petitioni, pro reverentia ipsorum monasteriorum, seu considerantes sacerdotium ipsius viri Godoini, vel fidei suæ respectum quo erga regnum nostrum fideliter videtur famulari, non solum confirmasse, sed etiam pro mercede nostra a novo recessisse vestra comperiat magnitudo. Præcipientes enim ut, sicut constat a suprascripto principe domno Sigiberto, vel germano nostro Childerico, quondam rege, seu ceteris Christianis hominibus, ad ipsa monasteria, tam villabus quam domibus, mancipiis, ac colabus, vineis, silvis, pratis, campis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cum reliquis beneficiis, mobilibus et immobilibus, præsentis tempore quieto ordine pars ipsorum monasteriorum cernitur dominari, ita deinceps pro nostra auctoritate plenius in Dei nomine confirmamus tam suprascripta loca, quam supradictum Godoinum abbatem et successores suos, vel monachos ibidem consistentes, tam nostris quam futuris temporibus, inspectas ipsas auctoritates ante lectos principes, vel reliqua instrumenta, quod ibidem fuit firmatum et condonatum, seu et inantea juste et rationabiliter collatum sub emunitatis nomine, absque introitu judicum, ibidem maneat inconvulsum; quo fiat, ut vobis ad mercedem parti-

^D a quo monasteria de quibus agitur diploma impetraverunt quod supra exhibuimus, col. 4307. Dagobertus interemptus est anno 678, nec ideo statim Theodoricus potitus est Austrasia, quam Martinus et Pipinus duces occupaverant; sed his prælio victis anno 680, vide supra, n. IX, not. ^b, totius Franciæ monarcha effectus est Theodoricus, et ei subiecta sunt monasteria Stabulense et Malmundariense; unde conjicere pronum est circa annum 681 ipsa possessionum suarum confirmationem ab eo postulasce. His suffragatur Longuenæus, Annal. Franc. in t. III Coll. script. rer. Franc., p. 699 et seq., nec repugnant tempora Godoini ablatis, qui utriusque monasterio præfuit ab anno 674 ad annum 685, ut testatur Nova Gall. Christ. t. III, col. 940. Hoc autem diploma Theodorico hujus nominis tertio tribuendum liquet, ex eo quod ibi Theodoricus avunculum suum appellat Sigibertum.

neat, et ipsos servos Dei melius delectet pro regni nostri constantia attentius Domini misericordiam deprecari. Et ut hæc præceptio firmior habeatur et per tempora conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborari. — In Christi nomine Theodoricus [Theodericus] rex subscripsit.

XII.

^a *Diploma quo Theodoricus immunitatem confirmat monasterio Sithiensi concessam, pro iis quæ in Attiniaco fisco monasterium hoc comparaverat aut comparare poterat. exceptis mansis unde operæ carrariæ exeunt (ann. 682).*

Si aliquid ad loca sanctorum pro adjuvamen servorum Dei concedimus, hoc nobis ad laudem vel eterne retributionis pertinere confidimus. Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra quod nos venerabili viro Bertino, abbati de monasterio Sithiu, tale beneficium concessimus, ut quod infra mero Attiniacense de fisco nostro comparatum habeat, aut inantea ad comparandum inventum potuerit, præter illos mansos unde operas carrarias exeunt, hoc habeat concessum, et nullo reddito terre, nec nullas functiones publicas eisdem ob hoc exigere, nec requirere non debeatis. Quapropter per hoc præceptum specialius decernimus ordinandum, quod in perpetuo volumus esse mansurum, ut neque vos, neque juniores seu successores vestri, nec quislibet de judiciaria potestate adiectus, de ipsas terras quod infra mero Attiniacense infra ipso fisco nostro memoratus abba comparatum habet, aut deinceps ipse vel successores sui, aut pars ipsius monasterii comparare potuerint, præter illos mansos unde carpentis exeunt, nullos redditus terre, nec nullas functiones eisdem non requiratis nec exactetis, nisi quicquid exinde ipse abba, vel pars monasterii sui Sithiu, aut successores sui, vel quod fiscus noster percipere potuerit ex nostro munere largitatis hoc habeat concessum atque indultum. Et ut hec præ-

^a Vulgavit Mabillonius ex chartulario Folquini, de Re diplom. pag. 606; ex Mabillonio recensus est in Suppl. opp. diplomat. Miræi, t. II, pag. 928; et in Coll. script. rer. Franc. t. IV, pag. 661. Nos edimus ad fidem exempli quod D. de Wite, archivo monasterii sancti Bertini præfatus, ex eodem chartulario, fol. 25, exscriptum, in chartophylacio nostro reposuit. Folquini inaccurate exhibuit formulam subscriptionis Theodorici, quæ in aliis diplomatum concipi solet his verbis: *In Christi nomine Theodoricus rex subscripsit*. Perperam Folquini hoc diploma tribuit anno Chr. 676; annus enim decimus regni ejus, mensis Novembri, concurrebat cum anno Chr. 682.

^b Primus vulgavit Lazius, de Suevis, lib. VIII, absque notis chronologicis. Hujus memoria est in Chronico Novientensis monasterii, a Martenio edito, Thesaur. anecdot. t. III, col. 1151, scripto partim XIII, partim XIV sæculo; sed solas chronologicas notas exhibuit Martenius, cæteris prætermissis. Mabillonius totum instrumentum exscripsit, et, ex ejus schedis, typis mandaverunt auctores Novæ Galliæ Christianæ, t. V, instrum. col. 457, integrum quidem, sed inaccurate. Recuderunt ex schedis ejusdem Collectores scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 662. Tandem prodit curis D. Grandier, a nobis sæpe laudati, Hist. eccles. Argent. t. I, prob. p. 40 et seq.,

ceptio firmior habeatur, et per tempora melius conservetur, manus nostre subscriptionibus eam decrevimus roborare. — Signum gloriosi regis Theodorici.

Data sub die X kalendas Novembris, anno X regni nostri, Compendio palatio, in Dei nomine feliciter.

XIII.

^b *Diploma quo Theodoricus immunitatem concedit monasterio Novientensi (ann. 683).*

In Christi nomine Theodericus [Al., Tiedericus], rex Francorum, vir illuster, Attico [Al., Athico] duci et Adelberto comiti ceterisque fisci nostri exactoribus. Illud nobis ad eternam retributionem credimus in Dei nomine proficere, si petitiones hominum religiosorum ad effectum perducimus, vel pro Christi amore cum omni protectione solidamus. Atque ideo cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, venerabilem virum Erhardum abbatem ac missum suum Radebertum monachum serenitati nostre suggestisse de hominibus ingenuis qui in mundeburde monasterii Novientensis, quod in honore peculiaris patroni nostri sancti Mauritii constructum esse videtur, ut eis tale beneficium concedere deberemus, hoc est de loco nuncupato Hiltesheim, quem propria manu eidem monasterio tradidimus, ut a iudicibus nostris nullam inquietudinem, vel quamlibet requisitionem, aut fredam, seu rehibitionem, vel injunctionem, quod ad vos vel juniores vestros pertinuerit, ad quascunque necessitates volumus esse communitos, pro mercedis nostre augmento, in luminariis peculiaris patroni nostri jam supradicti Mauritii, per hanc auctoritatem visi sumus concessisse; ita ut neque a subditis vestris, neque a vobis seu a successoribus vestris inquietentur vel amoveantur, nisi ab actoribus prefati monasterii in mundeburde impendant, et defensionem, tum ipsi quam et posteritas eorum, presentibus et futuris temporibus sperare debeant, et

ex duplici fonte haustum, videlicet ex exemplo quod pro autographo venditant, reposito in archivo monasterii Novientensis seu Ebermunsteriensis, et ex apographo veteri quod exstat in tabulario episcopali Argentinensis ecclesie. Fictitium est prius instrumentum, ut arguitur ex litterarum ductibus, ex stylo, ex notis chronologicis ab æra Christiana petitis, ex ipso regis nomine qui scribitur *Tiedericus*; apographum videtur, primo aspectu, ex hoc commentitio instrumento desumptum, mutatis tantummodo aut expunctis iis quæ potissimum falsum probebant, regis scilicet nomine, notis chronologicis, et subscriptionum formulis. Cum de cætero alterum alteri sit simillimum, utrumque separatim edere supervacaneum arbitramur. Lectionem apographi, ut pote emendatiorem, sequimur; discrepantias inter uncos aut in notis exhibemus. Certe hæc inter utrumque similitudo aliquam suspicionem injicit de utriusque falsitate. Apographum tamen ecclesie Argentinensis, cum nulla manifestæ falsitatis vitia exhibeat, ex legitimo instrumento descriptum censeri potest; alterum vero temere, ut sæpe fit, quoad subscriptiones et notas chronologicas interpolatum. Ergo quale edimus, ex tabulario ecclesie Argentinensis depromptum, spuris annumerare nobis religio est.

^c Al.: *Venerabili viro patri nostro domino Herardo abbati ac misso suo Radeberto monacho.*

quod fisci nostri ditionibus debuerant inferre, hoc ad ipsam congregationem sanctam hac autoritate concedimus, ut hoc debeant habere concessum atque indultum. Et, ut hec auctoritas nostris, Deo auxiliante, et futuris temporibus firmiorem obtineat vigorem, manus nostre subscriptionibus eam subter decrevimus roborari ^a. In Christi nomine Theudericus rex subscripsi. Aghlibertus recognovit. Datum sub die nono mense ^b Februarii anno decimo regni nostri, in Dei nomine feliciter. Amen.

XIV.

^a *Diploma quo Theodoricus Dervensis monasterii immunitates confirmat (ann. 685).*

Principalis serenitas semper in cuncto debet propicere, precipue petitionibus sacerdotum, que rite poposcerint benigno animo suscipere et ad effectum perducere, ut de obtento beneficio valeant gratulari, et eos melius delectet pro quiete regni nostri et constantia adtenius Domini misericordiam deprecari. Ideoque venerabilis vir Bercharius, abba de monasterio Putiolos, quod bene memorie germanus noster Childericus, quondam rex, ob amorem Dei, in foreste Dervo et sine Wasciacinse supra fluvium Vigore, in honore beati Petri et Pauli vel ceterorum sanctorum Domino cognoscitur edificasse, clementie regni nostri suggestit, eo quod ipse princeps integram immunitatem ad ipsum monasterium focisset; unde et ipsam immunitatem nobis in presenti protulit relegendam; sed pro rei totius firmitate petit celsitudinem nostram, ut hoc circa ipsum monasterium confirmare deberemus. Cujus petitionem non abnegasse, sed in omnibus prestitisse cognoscite. Et ideo jubemus ut de omni facultate ipsius monasterii, tam quod ipse princeps ibidem noscitur delegasse, quam etiam quod a reliquis Christianis hominibus noscitur fuisse condonatum, quolibet ad presens in quibuslibet locis ac territoriis et ex ejus hereditate vel

^a In exemplo quod vocant autographum, cætera sic leguntur: *Manus nostræ subscriptionibus, et auli nostri impressione eam decrevimus roborari. Ego Theudericus rex subscripsi; et ego Adoynus episcopus. Signum Theudericus regis invictissimi. Data mense Februarii, die nono, anno x regni ejus. Actum Suesionis civitate, anno Dominice Incarnationis DCLXXII, indictione vij, in Christo feliciter.* Hæc certe omnia a neoterica intrusa. Annus Ch. 672 cum decimo Theudericus regni anno non concordat; nec jam Suesionibus imperabat Theodoricus. Exemplum forte instrumenti legitimi, quod recentioris ævi amanuensi traditum fuerat ut illud exscriberet, in fine mutilum erat; et, ut deficientia suppleret, formulas sæculi sui pro formulis veris imperitus exscriptor ingressit.

^b Mensis Februarius anni decimi regni Theodorici III incidit in annum Chr. 683.

^c Ex tabulario Dervensi a Chiffletio erutum primus edidit Dacherius in Spicilegio, t. X, pag. 634; ex Episcologio recuderunt Cointius, Annal. t. V, pag. 151, et iterum Coll. script. rer. Franc. t. IV, pag. 662, additis variis lectionibus quas Camusatius cum Dacherio communicaverat. Nos ex chartulario Dervensis monasterii, sæculo VII exarato, instrumentum exscribimus. Nomen regis initio diplomatis prætermisissimum est quod non raro fieri solet in chartulariis. Satis *manifestum* est hoc diplomam emissum fuisse a

A studio, tam ultra Ligerim, in Herla scilicet et Satriaco vel Dono-Fronte cum appenditiis suis, et Diseio cum appenditiis suis, quam etiam citra Ligerim possidere videntur, seu quod ibidem adhuc inantea in Dei nomine a Christianis hominibus juste et rationabiliter fuerit additum vel condonatum, pro quiete ipsius regni nostri, integram emunitatem pro reverentia ipsius sancti loci concedimus, ut nullus iudex publicus quolibet modo judiciaria accinctus potestate, in curtes ipsius monasterii, ubicumque ad presens eorum maneat possessio vel dominatio, aut quod inantea fuerit additum aut condonatum, nec ad causas audiendum, nec fidejussores tollendum, nec rataticum infra urbes vel in mercatis extorquendum, nec ulla paratas aut quaslibet retributiones exactare presumatur; sed in omni facultate ipsius monasterii, ut prefatum est, in omnibus locis et territoriis ubi aliquid possidere videntur et dominari, absque interdictu iudicum, remotis et rescatis omnibus petitionibus de partibus fisci, usque super ripam fluvii Magnentis progrediente in directum termino ad locum qui Vallis profunda nuncupatur, sub emunitatis nomine inconcussa, tam nostris quam futuris temporibus, valeant dominari vel possidere. Quo fiat ut et nos pro prestito beneficio mercedem obtineamus, et ipsos servos Dei in ipso monasterio consistentes melius delectet pro stabilitate regni nostri adtenius Domini misericordiam deprecari. Et, ut hec emunitas firmior habeatur et per tempora conservetur, manus nostre subscriptionibus subter eam decrevimus corroborari. Data x Kal. Jun. anno decimo regni ejus. Actum Compendio palatio.

XV.

^a *Diploma quo Theodoricus jus condendæ monetæ indulget episcopis Cenomanensibus (ann. 685):*

Theodoricus, rex Francorum, vir illuster. Regum

Theodorico III; is enim Childericum appellat germanum suum, quod non de alio quam de Childerico II intelligi potest, ut monet Cointius, ubi supra, pag. 152. Annus autem 10 Theodorici III. mense Junio, concurrebat cum anno Ch. 685, ut liquet ex iis quæ sæpius de computatione annorum regni ejus diximus. Notabimus Dacherium et Malbrang. De Morinis. lib. IV, hoc instrumentum referre ad ann. 678.

^d Editum inter Acta episcoporum Cenomanensium a M. bill., Analect. pag. 278; et apud Corvaiserium, Vitæ episc. Cen. pag. 252; Choppinum, Oper. t. IV, pag. 618; Cointium, Annal. t. IV, pag. 128. Recusum in Collectione scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 665; memoratur in diplomate Ludovici Pii quo jus idem condendæ monetæ Cenomanensibus episcopis concessum confirmatur, ann. 836 emissum, ordine suo collocandum, et quod vulgavit Baluz. Misc. t. III, pag. 99. Non desunt exempla hujusmodi concessionum sub stirpe Carolingica; sub Merovingica non item. Mabillonio, Annal. t. I, pag. 559 et 608, videtur dubia sinceritas diplomatis Theodorici III quod exhibemus; ait enim Mabillonius, agens de monetæ condendæ facultate Hippolyto, abbati Condatensi, indulta a Carolo Magno: « Si verum est quod hic legitur, nullum forte monasterium habuit antiquius hujus rei privilegium, quod multis aliis subinde commune fuit. » Alia quædam in diplomate Theodorici suspi-

consuetudinem exercemus, si petitiones servorum Dei, in quo nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, et hoc nobis ad æternæ beatitudinis præmium percipiendum profuturum esse confidimus. Igitur compertum sit prudentiæ omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ et nostrorum, quatenus vir sanctissimus et religione atque sapientia, genereque nobilissimus Aiglibertus, Cenomanicæ urbis archiepiscopus, nos deprecatus est uti monetam publicam in sua civitate, et in nomine sancti Gervasii ac nostro, ei concederemus : quod ita et fecimus, ea videlicet ratione, ut ipse et sui ministri hoc valde prævideant ne aliqua fraus in ipsa moneta nostris futurisque temporibus appareat. Jubentes ergo præcipimus, et præcipientes jubemus ut nullus ex fidelibus nostris, aut quislibet ex judiciaria potestate, de præfata moneta prædicto episcopo suisque successoribus aut rectoribus suæ sedis, Ecclesiæ aliquam calumniam aut injustam pulsationem vel causationem, sive adversam machinationem adversus eos, sive suos successores seu rectores ejusdem Ecclesiæ, ullo unquam tempore facere audeat, aut machinari præsumat. Et hoc præcipimus ut si aliquis hoc fecerit, sol. auri adversus eum vel suos successores rectoresque ejusdem Ecclesiæ componat. Et, ut hæc jussio atque cessio nostra verius credatur et per omnia perficiatur, futurisque temporibus firmis maneat, hanc auctoritatem manus nostræ subscriptionibus roborare decrevimus, et anuli nostri impressione subter sigillare jussimus. Theodericus, rex Francorum, subscripsi. Bonitus obtuli, scripsi et subscripsi. Datum die vj Kal. April. xij regni nostri, Compendio in Dei nomine feliciter. Amen.

XVI.

^A *Diploma quo Theodericus monasterium Hunulfocurtis, ab Amalfrido concessum Bertino, abbati Sithiensi, confirmat (ann. 687).*

Quotiens recta postulatione sacerdotum vel mona-

cionem falsi vehementer movent. 1^o Mentio impressi annuli, quæ quidem, ut scribit Mabill. Dipl. pag. 107, raro sit sub Merovingicis regibus, exstat tamen in diplomatibus legitimis Childeberti I et Childerici I, supra relatis. 2^o Titulus archiepiscopi Aigliberti, Cenomanensi episcopo, inditus. Docent quidem Acta episcoporum Cenomanensium, Mabill. Annal. pag. 276, Aiglibertum, cum foret archiepiscopus, archiepiscopum vocatum et principem episcoporum, ac pallio usum fuisse juxta morem metropolitanorum; sed sublestæ fidei sunt acta hæc episcoporum Cenomanensium, nec archiepiscopi titulus sub prima stirpe usurpatus fuit, ut supra notavimus ad diploma spurium Dagoberti I. Cum vero ipsius archiepiscopi nomen in diplomate Theodorici non legatur, et vocem *archiepiscopi* pro voce *episcopi* non semel viderimus oscitantia amanuensium intrusam, ob id falsi damnare diploma non sustinemus, præcipue cum nec Mabillonius, nec alter quem sciamus e criticorum familia, illud pro spurio habuerit. Verum a gravi falsitatis suspitione illud non absolvimus.

^a Hoc diplomate confirmatur charta Amalfridi, quam videsis hujus nostræ Patrologiæ t. LXXXVIII, col. 1203, n. XXIV. Diplomatis Theodorici fragmentum vulgavit Mabillonius, de Art. diplomat. pag. 607, desumptum ex Folquini chartulario, recursum in supplemento ad Opera diplomatica Mæzi, t. II,

A chorum, quod pro eorum quiete, vel ad anime salutem pertinet, libenter in Dei nomine obaudire, vel effectum Christo propitio perducere cogimur, et hoc ideo ut eos melius delectet pro stabilitate regni jugiter exorare, vel Deum pro nobis deprecare. Igitur veniens vir venerabilis Bertinus, abba de monasterio Sithiu, quod est constructum in pago Terwaninse in honorem sancti Petri vel ceterorum sanctorum, per consensum et voluntatem illustris viri Amalfridi, vel matrone ipsius Childebertane seu et filie eorum Auriæ abbatissa, b Cariciaco villa in palatio nostro in nostram venientes presentiam, clementie regni nostri intulerunt eo quod ipse Amalfridus et matrona sua Childebertane, in honore sancte Mariæ genitricis Domini nostri Jesu, vel sancte Pulline, in loco noncupante Hunulfocurte super fluvio Scald, monasterium visi fuerunt edificasse, et res eorum ibidem delegassent, vel quicquid eorum legitimum esset, ad ipso sancto loco firmaverunt: etiam et alii homines plures devotione plenissima, in quantum eis fuit possibilitas, de res eorum ibidem ad ipsum locum firmaverunt, et ipsum monasterium Hunulfocurtem ad opus sancti Petri, seu Sithiu monasterii vel domni Bertini abbatis, cum omni integritate sua in se habente vel pertinente per eorum instrumenta a die presente delegaverunt: inspecta ipsa instrumenta, una cum eorum terris, mansis, casticiis ibidem edificatis, mancipiis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, communis, omnia et ex omnibus rem inquisitam, sicut superius intimavimus vel dominatum est, ad integrum ad superscripto monasterio Sithiu transfirmarunt. Cujus hoc beneficium ut predicto monasterio Sithiu vel domno Bertino abbate, gratante animo, vel pro mercedis nostre augmentum ita prestitisse vel in omnibus confirmasse, vel ad petitionem ipsius Amalfridi, et per hunc preceptum nostrum plenius in Dei nomine confirmatum, ut sicut constant, qui per talem....

pag. 927. Exstat inter instrumenta Novæ Galliæ Christianæ, ex schedis Hunulfocurtianis, integrum, t. III, col. 28, et inde translatum est in Collectione scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 665. Nos edimus ex apographo in chartophylacio nostroposito, accurate exscripto ex chartulario Folquini, anno 1782, a sæpe laudato D. de Witte, sancti Bertini chartophylace. Decet formula initialis solita, *Theodericus, rex Francorum, vir illuster*, a Folquino omissa; sed Folquinus, ut scribit Mabill., de Re dipl., pag. 607, in chartularii contextu, Theodorico III tribuit diploma de quo agimus.

^b Locus qui *Cariciacus* hic appellatur idem videtur ac palatium *Crisiacum*, ubi diploma datum infra dicitur; unde liquet duplici modo scriptum fuisse nomen hoc ab oscitante librario. Quis sit autem locus ille non conveniunt critici; quidam scilicet intelligunt *Cresiacum* seu *Crisiacum* in Pontivo, villam regiam, in quam frequenter divertebat Theodericus, et ubi a Landerico, majore-domus, oppressus est. Ergo temere Valesius, Notitia Gall., verb. *Cresiacum*, hanc villam *Cresiaci* nomine appellatam fuisse negat, quamvis aliquando *Cresiacum* a *Carisiaco* diversum fuisse fateamur. Vide quæ de utroque nomine congesta sunt libro IV de Re diplom., pag. 258 et 279.

ut ipse beneficium ad tempora nostra vel successorum parentorum nostrorum regum, ad ipso monasterio Sithiu sit conservatum, ut hoc ipse habeat, vel successores sui habeant, teneant atque possideant; vel quod exinde pro utilitate monasterii sancti Petri facere voluerint, jure firmissimam habeant potestatem. Et, ut hec preceptio firmiter habeatur, manu nostra subterfirmavimus. Data cal. Aprilis, ^a anno decimo quarto regni nostri, Crisciaco palatio.

XVII.

^b *Diploma quo Theodorici villam Latiniacum conce-
dit sancti Dionysii monasterio (ann. 688).*

Theudericus, rex Franc. vir iulr. Dum et nobis divina pietas ad legitima etate fecit pervenire, et in solium rigni parentum nostrorum succidere, oportuit nobis et concedit pro salute anime nostre cogitare debiamus. Ideoque vestra cognoscat industria quod nos, pro salute anime nostre, una cum consilio pontificum vel obtinatum nostrorum, villa noncopanti Latiniaco, que ponitur in pago Meldequo, qui fuit inlustribus viris Ebroino, Vuarattune et Chislemaro, quondam majores-domos nostros, et post discessum ipsius Vuarattune in fisco nostro fuerat revocata: nos ipsa villa de fisco nostro ad suggestionem preclse regine nostre Chrodochilde, seo et inlustri viro Berchario, majorem-domos nostro, ad monasthrio sancti domni Dionisiae, ubi ipsi preciosus in corpore requiescit, et venerabilis vir Chaeno abba, cum norma plurima monachorum, ad laudis xpi canendas in ordine sancto ibidem adunata preesse viditur, pro remedium anime nostri plena et integra gracia propter rem illa in loco qui dicitur Siliacos, qui fuit

^a Annus 14 regni Theodorici III, mense Aprili, concurrat cum anno Ch. 687, juxta nostram computandi rationem, quam sæpius declaravimus.

^b Ex autographo excerptum vulgavit Mabillonius, de Re dipl., pag. 471, et ejusdem specimen æri incidendum curavit, ibid., pag. 379. Recusum exstat apud Felibianum, Hist. eccl. S. Dionys., prob. pag. 9, et in Collectione scriptorum rerum Francicarum, t. IV, pag. 664. Aliud quoque edidit Germonius, de vet. reg. Franc. diplom., t. I, pag. 301, qui in eo falsi indicia deprehendere summoerone nisus est. Pro sinceritate diplomatis fortiter dimicaverunt Mabillonius, ubi supra, et Fontanius, Viadic. dipl. pag. 182 et seqq. Præcipua in utramque partem argumenta paucis exhibebimus. 1° Germonius, de vet. reg. Franc. Dipl., t. I, pag. 174, objicit villam Latiniacum jam fuisse concessam monasterio sancti Dionysii a Dagoberto I, qui illam in commutationem receperat, ut testatur scriptor gestorum ipsius Dagoberti, cap. 57, et confirmat diploma Caroli III, Felib., Hist. eccl. S. Dion., prob. pag. 79, datum anno 917, quod suo loco proferemus. Reponunt Mabillonius, Suppl. ad dipl. pag. 21 et 22, et ejus assectæ; D. Germanus, de Palat. reg. Fr., in dipl. Mabill., pag. 290; Fontanius, Viadic. dipl., pag. 182 et seqq.; Mabill., Ann., t. I, pag. 594, villam hanc a Dagoberto I donatam, postea vi aut alio quovis modo ablatam monasterio, deinde ad fiscum devolutam, demum iterum eidem fuisse concessam a Theodorico III: quod minime repugnat. 2° Aliud argumentum eruit Germonius, ubi supra, pag. 175, ex ipsis Theodorici verbis, quibus in solium paternum recens conscendisse, vix legitimam aetatem adeptum, innuit. Id enim videtur pugnare cum notis diplomati subjectis, scilicet anno regni 16.

A Arulfo quondam, et ibidem usque nunc ad ipso Latiniaco aspexit, quem aposthlico viro domno Godino episcopo per alia nostra preceptione concessimus, in reliquo viro ad integrum ipsa villa Latiniaco ad ipso monasthrio domni Dionisiae ad die presenti visi fuimus concessisse. Quapropter per hunc preceptum nostrum decernemus ordenandum, et perpetua'iter volumus esse mansurum, ut ipsa villa superius nomenata Latiniaco, cum terris, domibus, mancipiis, acolabus, viniis, silvis, campis, pratis, pascuis, farinariis, aquis, aquarumve decursebus, pediculis utriusque generis sexus, cum adjacentiis, adpendiciis, vel reliquis quibuscumque beneficiis, omnia et ex omnibus, rem exquisita, sicut ad superscriptas personas fuit possessa, vel postea in fisco nostro revocata, cum omne integritate vel soledetate sua, ad se pertinentis vel aspicientis prepter superscripta rem in Siliaco, qui fuit ipsius Arulfo vel jam dicto pontifici, per nostra preceptione concessimus: in reliquo viro predicta villa Latiniaco ad integrum sub emunetatis nomine, absque introitus iudicium, memoratus Chagno abba ad parte predicti monasthriae suae sancti Dionisiae per hanc nostram cessione in lumenarebus ipsius basilici habiat concessa adque indulta: et deinceps in postmodum nec de parte de fisci nostri, nec ad quamcumque libet persona, nec per strumenta cartarum, nec per quolibet ingenium, ipsa villa de ipso monasthrio nullatenus abstracta nec auferatur: sed, sicut superius diximus, pro nostra mercede ibidem in perpetuo in Dei nomine proficiat in augmentis: quo fiat ut et nobis ad mercedem pertentiat, et ipsis servis Dei qui ibidem deser-

Variis modis nodum solvunt hujus instrumenti defensores, quos videsis; nos vero rem facile expedi posse credimus, si in initio diplomatis, unde argumentum petitur, vox cum eo sensu accipiatur quo vox postquam, ex hoc tempore quo, etc. Hinc enim ea emergit sententia, ex eo tempore quo, legitima aetate adepti, in paternum solium succedere oportuit, pro salute nostra cogitare debuimus, etc. Hac autem anno regni 16 profitebatur Theodoricus, ut se ab ipso regni exordio piis donationibus intentum fuisse significaret. 3° Instat Germonius, argumento petito a morte Bercharii, ad cuius suggestionem Latiniacum monasterio sancti Dionysii Theodoricus concecit; Germonius enim Bercharium hunc contendit jam interfectum fuisse anno 16 regni Theodorici. Sed ipse fatetur Germonius, de vet. reg. Franc. Dipl., t. III, pag. 265, Bercharium a prælio anno 687 commisso evasisse, et aliquo tempore superstitem fuisse. Ergo illum ad annum usque 688 vixisse nemo non facile crediderit. Porro annus 16 regni Theodorici III, mense Octobri, concurrat cum anno Ch. 688. Neque placet emendatio in notis chronologicis qua usi fuerunt Collectores scriptorum rerum Francicarum, qui annum 14 legere jubent pro anno 16; nota enim vi in autographo ipsissimam figuram præfert quam nota quæ in alio diplomate Merovingico pro numero sexto adhibetur. 4° Restat quod objicit Germonius, insolita loquendi formula Theodorici uxorem suam vocare *reginam nostram*; usitatum autem eo tempore fuisse formulam hanc evicit Mabillonius, ipso constitente Germonio, Vet. reg. Franc. dipl., t. II, pag. 249; nec aliud superest quo spurium haberi possit diploma quod expudimus.

vire vidintur, delectis pro anime salutem vel rigui nostri constancia adtencius Domini mesericordia deprecare. Et, ut hec preceptio cessio nostra firmior habltatur, et melius per tempora conservitur, manus nostri subscripctionibus subter eam decrivemus ro-

A borare Vuffolaccus jussus optolit: *Locus sigilli.* † In xpi nomine Theudericus rex snbs.

Dat. sub d. tertio Kal. Novembris, annum xvj rigui nostri, Compendio, in Dei nom. fel.

APPENDICES AD DIPLOMATA REGIA.

APPENDIX PRIMA.

*Charta qua Chrothildis multa dona confert ad condendum monasterium puellarum apud Brocariam, in pago Stampensi * (ann. 670).*

...ere et quid prudenciore consilium ut hom... et terrena substancia transferat in caelestia, sicut Dominus praclara voce inlonat: Tessauriciate vobis tesaurus in caelo, ubi nec fur esudiet, nec eruco rubigenat, nec tinia sulcat. Iggitur ego in Dei nomine Chrothildis, cogitans qualiter peccatorum meorum facinora possem abstergere, et ad aeterna gaudia pervenire, lecit in cunctis pauperebus bene tribuendo potesta....ma adebisci remedium: sed tamen, juxta quod scriptum est: Date elemosena, et omnia munda sunt vobis, precipui ad domesticis fedei; et illud: Facite vobis amicus de mammonae iniquitatis, qui vos recipiant in aeterna tabernacula; et alibi: Beati pauperis spiritum, quoniam ipsorum est regnum caelorum; nihilomenus bonum est pro cunctorum necessitatebus lebenter manum porregere; sed ad tale bona maxime oportit substancia transagendi conferrere septiam monastirie habetacionis struere, vel de aeterna tabernacula debiant ad beneficia rebus respondere, precipui ubi choros sanctorum virginum jugiter medetacionum carmena devota mente Domino canuntur, in loco ubi decernit construere, in quorum honore dkatur ipsorum ante Domino in-cessio spiretur. Et ideo in Dei nomine, et in honore sancti Mariae, genetricis Domini nostri Ieshum Christi, et cithororum sanctorum, quorum pignora in ipso monastrio habentur inserta in loca noncopante Brocaria, situm in pago Stam; ease, prope de fluvio Urbia, afflante Christo, monastrium puellarum devota mente decrivi fundare, ubi nescio mea Mammona instetuemus abbatissam: ea vero racione ut sub evangelica et apostolica tradicione, et regola sanctorum patrum perpetuis temporebus ipsa et successoris earum, in loco tramete debiant vitam perfrui, et pro felicitatem regum vel statu Aecclesiae, et pro animae meae remedium Domini mesericordia adten-

B cius deprecare; et precipui ut nulla monacha in eodem monastrium quipplam peculiare presumat, sed sint illis omnia communia. Ad locum sanctum vel predicta congregacionem cedo, ad diae presente, et cessumque in perpetuo esse volo, et de jure meo in jure adque domenacione sancti Mariae et sponsarum Christi in praedicto locum consententis trado adque transfundo; hoc est, ipso agro Brocaria, in quo monastrio, Christo presoli, construxi duas partis de ipsa villa, tam ex luctuoso, quam undique ad nos pervinit, volumus ut proficiat; et medietatem de loco noncopante Pladano, sicut jam dixi, tam ex luctuoso quam undique ad nostra domenacione pervinit, volumus ut ad ipso sancto loco debiat pervenire. Semeleter et locello cognomenante Fontaneto, quantum inibi ad presens tam ex luctuoso quam undique mea regit....tas et ad nos undecunque nuscetur pervenisse; dum industri vero Charicardo, se nos super stetit est, post nostrum opetum delegavimus, ut, dum advivit, hoc possediat, et post suum et nostrum discesum semeleter; et de ipso locello medietatem volumus ut ad ipso monastrio in antedicto loco debiat revertere, cum domebus, edificibus, accolabus, mancipiis, vineis, campis, silvis, pratis, pascois, aquis aquarumve decursebus, adjecencies, apendicis, farinaries, gregis cum pastorebus, movele et immovele utriusque sexus, et omne meretum eorum, ad ipsa loca aspicientis qualiter superus est intima-tum, ad ipsum sanetum monastrium proficiat perennis temporebus. Et hec omnia superius comprehensa ad ipso sancto loco post nostrum transietum presentaliter revertatur. Et cum abbatissa ejusdem loci de hoc saeculum fuerit evocata, quem cuncta congregacio unaniniter bene rigola conperta eligerint, in loco ipsius socesor instituat. Et adhuc perpensavimus, pro ea oportanetate ut mercis nostra qualiter superius intemavimus, perpetuis temporebus debiat proficiscere, de omnis res nostras quid in suprascripta loca in hanc pageam deliberacionis,

* Edidit primum Mabillonius, de Re dipl., p. 468, ex autographo in archivis Sandionysianis reposito, et hujus specimen litteris Merovingicis exaratum aeri incidi curavit, ibid. pag. 379. Reculit Germonius, de vet. reg. Fr. Dipl. t. I, pag. 291, t. II, pag. 217 et seq., et magno conamine impugnavit. Lectionem Mabillonii sequimur, qui diphthongum æ saepe typis expressit, quam Merovingicum autographum non exhibet. Chartam calumniandi ansa fuit Germonio nota chronologica, quæ annum 16 regni Clotarii III indicat, cum non ultra ann. 14 regem hunc regnavisse contendat Germonius. De hujus notæ interpretatione disputatum est, sed hanc non alium quam decimum sextum numerum indicare recte probaverunt auctores Diplomaticæ novæ, t. III, pag. 514, et auctores ibi cit. An vero Clotarius III decimum sextum annum regni sui exorsus? Vulgo regni ejus initium sumitur anno Christi 656, et vitæ terminus anno 670 illigatur; quidam tamen regnum ab anno 655 repetunt; quidam illud protendunt ad annum

D 671. Sic vir eruditissimus Longemarus, de Chronol. regum Meroving., cui suffragatur diarium Trivoltianum, ann. 1749, Jun. pag. 1291; sic olim Mabillonius qui tamen posteriori judicio, t. I, Annal. pag. 481, chartam de qua agitur Clotario potius secundo tribuendam arbitratus est. Subscribit huic chartæ unus tantum episcopus, qui censi merito potest Parisiensis episcopus, in cujus diocesi situs erat Brocariensis locus. Porro hic episcopus dicitur Agibertus, qui revera episcopus Parisiensis exstitit, pluribus annis regnante Clotario III, pluribus annis post annum 674, Mabillonius, Opera posth. t. II, pag. 346: nec alter hujus nominis infulas Parisiensis gessit toto Clotarii III tempore. Hinc chartam Chrothildis sub Clotario III emissam judicaverunt Nova Galliae Christianae auctores, t. VII, pag. 27. Cum ergo sinceritas hujus chartæ his quæ diximus defendi posse videatur, instrumentum hoc spiritis cum Germonio non annumeramus; illud autem anno Christi 670 aut 672 adjudicamus.